



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qvalificatoris, Et
Olim Complvti Sacrae Theologiae Professoris. Opvs
Theologicvm, iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Dissertivr ...

Izquierdo, Sebastián

Romae, 1670

Quæst. 17. In quo constat libertas actus secundi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77011)

QVAESTIO XVII.

In quo consistat libertas actus
secundi.

752 **A**ctus secundus exercitium est actus primi, siue potentiae, prout constat ex dictis supra quaest. 1. Actus vero secundus liber exercitium est potentiae, siue causae liberae. Unde libertas actus secundi in eo posita est, ut procedat ille à causâ liberâ quatenus liberâ, hoc est, quatenus proximè potente causare illum, vel non causare: sicque proinde suam ab illâ existentiam habeat, ut possit proximè non habere. In hoc enim stat, esse eum liberum libertate actus secundi. De quo nullum est dubium. Sed difficultas primò est, an libertas actus secundi, siue denominatio liberi extrinseca, aut semiextrinseca sit, vel potius adæquatè intrinseca ipsi actui secundo. Et si intrinseca quidem; an sit denominatio formae alicuius superaddita ipsi actui inhaerentis; an verò denominatio sumpta à substantiâ actus præcisè, ita, ut libertas actus secundi realiter ab ipso actu indistincta sit. Secundò est difficultas, an libertas actus secundi ita ipsi sit essentialis, ut prorsus repugnet, non esse liberum eum actum, qui semel est liber; vel potius ita, sit ipsi accidentalis, seu accessoria, ut idem actus, qui est liber, non liber atque ad eò necessarius possit exitere. Procedit autem quaestio de libertate actus secundi voluntatis creatae: non item diuinæ; de qua alibi. Circa quam variz sunt Doctorum sententia.

753 Prima, & communissima sententia est, libertatem, siue denominationem liberi extrinsecam, aut semiextrinsecam esse actui secundo voluntatis creatae, atque etiam actioni, per quam ille ab ipsâ voluntate fit, desumptam videlicet saltem ex parte à libertate actus primi ipsius voluntatis: sicque subinde esse illis accidentalem, seu contingentem, ut idem actus modò liber, modò necessarius esse possit; similiterque eadem actio factiva eius. Sic tenent Lessius lib. 13. de Diuinis perfect. num. 17. Molina in Concord. quaest. 23. art. 4. disp. 1. membr. 7. Soar. 1. 2. tract. 2. disp. 1. sect. 3. Vazq. 1. 2. disp. 34. cap. 3. & disp. 55. cap. 3. & disp. 29. cap. 7. Salas. 1. 2. quaest. 12. tract. 7. disp. 2. sect. 5. & 6. Becan. 1. 2. tract. 1. cap. 3. quaest. 3. Corinc. de Actibus suspens. disput. 2. dub. 8. Tanner. disp. 2. de Actibus human. quaest. 1. dub. 2. Arriaga disp. 8. de Anima sect. 4. Ouiedo controu. 11. de Anima punct. 8. Veken. de Libertate diuinæ tract. 2. disput. 3. cap. 1. apud quem. Franc. Amicus, & Recupitus. Carlet. disput. 24. de Anima sect. 5. Soar. Lusit. tract. 6. de Anima disput. 2. S. 12. Tellez disput. 67. sect. 1. & alij plures.

754 Se. unda sententia præcedenti extremè opposita est, libertatem denominationemque liberi actui secundo voluntatis esse omnino intrinsecam, & essentialem, utpote adæquatè identificatam cum actu ipso. Hanc tenent Petr. Hurrado disp. 15. de Anima sect. 6. subsect. 2. referens pro eâ Conrad. Capreol. Ferran. & S. Thom. Esparza. lib. 3. de Actibus human. quaest. 14. & alij Recentiores.

Tertia sententia secunda: affinis non cum actu voluntatis, sed cum actione productiua eius ponit identificatam adæquatè, atque ad eò omnino intrinsecam, & essentialem libertatem, denominationemque liberâ. Ita Recentiores aliqui, cum quibus sentire videntur Carmelitani Salm. n. 1. 2. tract. 10. disput. 2. dub. 4. Et fatet Soar. tom. 1. de Gratia proleg. 1. cap. 5. Consentit quoque Lynce lib. 7. Metaph. tract. 9. cap. 1. & seqq. licet addat, etsi actioni productiuae actus voluntatis sit intrinseca; & essentialis libertas, actioni verò productiuae durationis eius extrinsecam & accidentalem esse, sicut & actui ipsi.

Quarta sententia eatenus tres præcedentes amplectitur, quatenus censet, possibiles esse actus voluntatis, actionisque factiuas eorum, quibus libertas extrinseca, seu semiextrinseca, accidentalisque, seu contingens sit; necnon possibiles etiam esse alios actus, aliaque actiones, quibus sit illa omnino intrinseca, & essentialis. Ita sentit Arriaga 1. 2. disp. 7. sect. 3. subsect. 1. atque etiam Lynce, ubi supra, & latè probat Ribaden. de Actibus human. disput. 18. & 19. De facto tamen, Arriaga, & Lynce ubi supra negant, dari actus voluntatis intrinsecè, & essentialiter liberos. Ribaden. verò alios intrinsecè, & essentialiter, alios extrinsecè, & accidentaliter liberos ponit de facto, distinctèque designat utroque disp. 20. Tantumdemque sentiunt utriusque de actionibus actuum productiuis.

Quinta sententia ita ponit libertatem actui voluntatis intrinsecam, ut eam in modo quodam superad dito, & inhaerente ipsi actui consistere dicat: quocirca non essentialem, sed accidentalem actui esse censet. Hac sententia tribuitur nonnullis Thomistis, eis præsertim, quos Carmelitani referunt ubi supra.

Sexta sententia quorundam Recentiorum est, libertatem actus voluntatis esse quidem adæquatè identificatam cum actu ipso; requirere tamen, ut eum denominet, aliqua extrinseca, connotata per modum conditionum prorsus extrinsecarum, neque denominationem ipsam constituentium, ex quarum defectu nihilominus potest in actu deficere denominatio liberi. Cadit sententia hæc sub illam generalem doctrinam, quam appellant de connotatis, & qua Auctores eius vtuntur in varijs materijs.

Noto tamen hic primò, Auctores, qui libertatem actus voluntatis ipsi essentialem esse dicunt, dumtaxat loqui de actu positivo. Nam omissioni eius, quæ actus negatiuus dici solet, nequitiam posse libertatem esse essentialem, certum apud omnes esse videtur, aut sanè prorsus debet. Secundò noto, etsi ponatur libertas actui voluntatis, aut eius actioni essentialis, nonnullis censere denominationem liberi nihilominus esse illi semiextrinsecam: sicuti apud eosdem denominatio veri semiextrinseca est etiam eis actibus intellectus, quibus essentialis est veritas, ut nos item docuimus in Pharo Scient. disp. 3. quaest. 1. proposit. 6. Sic tenet Arriaga 1. 2. disp. 7. citat. num. 14. Lynce verò tract. 9. citato cap. 6. duplicem ponit libertatem in actione essentialiter liberâ, alteram adæquatè ipsi intrinsecam, alteram semiextrinsecam.

Incipio à certioribus.

Propositio 1.

760 Impossibile est, vt ommissio aliqua vlius actus voluntatis libera essentialiter sit.

Quia, vt talis esset, cum libertate actus primi voluntatis, atque adeo cum aliquo ente positivo prout existente deberet connexa esse essentialiter, vt est notissimum. Sed nulla ommissio vlius actus voluntatis, vtpote mera negatio entis, cum vilo ente positivo est connexa essentialiter, vt à nobis est demonstratum tum in Pharo Scient. disp. 14. quæst. 4. proposit. 10. tum in tom. 1. huius Operis disput. 4. quæst. 3. proposit. 3. Igitur impossibile est, vt ommissio aliqua vlius actus voluntatis libera essentialiter sit. Et quidem cum sit manifestum, omnes carentias, seu negationes omnium actuum voluntatis sine ipsa voluntate, & consequenter sine libertate actus primi eius existere posse; manifestum quoque est, omnes carentias, seu negationes omnium actuum voluntatis posse esse non liberas. Hoc autem ipsum est, omnibus illis contingenter, atque adeo nulli essentialiter posse libertatem competere. Quod æquè est verum, siue de earum libertate immediatâ, siue de mediâtâ sit sermo, casu, quod vtraque sit possibilis; vt contra oppositum opinantes mihi certum est propter doctrinam traditam supra quæst. 6. & 7.

Propositio 2.

761 Esse libertatem adæquatè identificatam cum actu voluntatis, & tamen vt eum denominet liberum, requirere conditionem extrinsecam in ipsâ denominatione liberi non inclusam, omnino impossibile est.

Hæc propositio mihi est euidens contra sententiam sextam relatum num. 758. Quoniam id, quo præcisè deficiente, & cæteris omnibus permanentibus, deficit quælibet essentia, aut est essentia ipsa, aut aliqua pars eius ipsam intrinsicè constituens, vt demonstraui in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 5. proposit. 19. Sed deficiente præcisè extrinsecâ illâ conditione, & cæteris omnibus permanentibus, deficit essentia denominationis liberi in actu voluntatis iuxta Aduersarios. Ergo talis conditio, si talis denominationis non est integra essentia, certè non potest non esse pars eius ipsam intrinsecè constituens. Vnde mox sequitur, ne libertatem quidem abstractè sumptam, quæ denominationis liberi forma censetur, adæquatè identificatam cum actu voluntatis dici posse; sed ei semiextrinsecam, sicut & ipsa denominatio liberi dici debere. Vide doctrinam illam de connotatis, quam dicta sententia sexta supponit, pluribus reiectam omnino tanquam euidenter falsam loco citato Phari.

Propositio 3.

762 Libertas actus voluntatis non ita potest esse intrinseca illi, vt in modo ali-

quo superaddito, & inhærente ipsi actui consistat.

Est contra sententiam quintam relatum num. 757. Probatur autem primo. Quia (præcisâ actione productiua actus voluntatis, de qua hic non est sermo) non est excogitabilis modus superadditus, à quo denominatio liberi ita proueniat ipsi actui, vt, tali modo deficiente, talis denominatio deficiat: siquidem eo ipso, quod actus elicitur à voluntate potente proximè non elicere illum, omni alio modo superaddito penitus circumscripto, non potest non ille, imputabilis voluntati, atque adeo liber euadere, vt est manifestum. Ergo talis superadditus modus ad rem prius impertinens, atque adeo etiam impossibilis censendus est.

763 Secundò probatur. Quia ommissio actus independenter à tali superaddito modo, cuius prorsus est incapax, aliunde potest libertatem fortiri. Ergo potiore iure poterit actus.

764 Tertiò probatur. Nam vel eiusmodi modus superadditus euadit liber per se ipsum, vel per alium modum etiam superadditum ipsi. Si per alium: & hic euadet liber per alium, abibiturque in infinitum: quod planè repugnat. Si per se ipsum: vel libertate accidentali consistente in coexistentiâ eius cum libertate actus primi voluntatis sibi accessoriâ; & sic multò potiore titulo à simili coexistentiâ euadet liber ipse actus secundus voluntatis, sublato ab illo penitus tali modo: vel libertate essentiali propter connexionem, quam ille habet cum dictâ libertate actus primi; & hoc pacto potiore item iure veniet adscribenda dicto actui secundo talis connexio, ipseque modus penitus veniet amouendus tanquam superfluus. In omni igitur euentu eiusmodi superadditus modus vt prorsus superuacaneus, impertinentque ad libertatem actus secundi voluntatis constituendam, ad idque subinde muneris impossibilis reiiciendus omnino est. Hæc satis contra sententiam haud dubiè iam penè ab omnibus derelictam.

Propositio 4.

765 Possibiles sunt actus voluntatis, actionesque factiuae eorum, quibus libertas contingens, atque femiextrinseca sit.

Dico femiextrinseca: quia denominatio liberi potius inter femiextrinsecas, quam inter extrinsecas censenda est iuxta diuisionem earum datam à nobis in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4. conlect. 3. & disput. 12. quæst. 3. num. 42. tametsi alij extrinsecam appellent illam; in quo solum potest esse dissensio de nomine. Loquor autem de actibus voluntatis, de actionibusque factiuis eorum, cum distinctione: quia iuxta sententiam communem, quam aliqui ex Auctoribus citatis supponunt, & ego amplexus sum in eadem Pharo Scient. disput. 2. quæst. 1. actus voluntatis, quales sunt volitiones, & nolitiones, medijs actionibus à se adæquatè condistinctis producuntur à voluntate: & quidquid in præsentia iuxta sententiam hanc dictum fuerit, facile accommodari poterit alijs, quæ actiones, quibus voluntas producit suos actus vel cum ipsis adæquatè identificant, vel in ipsis includunt, prout loco proximè citato videri potest.

X x Et

766

Et quoniam, quoties actio contingenter est libera, non potest non & actus per illam productus etiam contingenter liber esse; de actionibus tantum voluntatis loquimur plerumque compendij gratia inter probandum propositionem, nisi quandoque necesse sit actus item exprimere. Porro necesse esse, quod actus contingenter tantum sit liber, quando actio eius contingenter est libera, facile demonstratur. Quia, cum actio essentialiter sit connexa tanquam cum suo termino cum actu producto per illam, si actus sit liber essentialiter ob connexionem sui essentialem cum libertate actus primi voluntatis, actio quoque ob connexionem mediatam sui cum eadem libertate erit essentialiter libera. Necesse ergo est, ut, quando contingenter est libera, & actus per eam productus contingenter sit liber. Non sic tamen evenit vice versa. Quia, cum actus non sit connexus cum actione determinata, per quam de facto fit; eo quod per plures alias, easque inter se diversas factibilis est, contingenter liber manere poterit; etsi actio, per quam fit de facto, sit libera essentialiter; quia contingens illi erit, per illam, & non per aliam fieri.

767

Igitur propositionem nostram inde potissimum probant multi; quia ex duabus cogitationibus, ex quibus libertas actus primi voluntatis componitur, ea dumtaxat, quae attrahit ad actum, influit simul cum voluntate in eius actionem: non item altera, quae retrahit. Quo fit, ut siue haec adsit, siue desit, cum eaque consequenter libertas actus primi, manente integra causa actionis, eadem actio possit manere: eique proinde possit contingere, ut enadat vel libera a coexistentia cum dicta libertate actus primi, vel necessaria a coexistentia cum eius defectu. Haec tamen probatio nullatenus mihi probari potest. Quia, ut ostendi quae. 1. §. a num. 706. necessario dicendum est, integram libertatem actus primi, atque adeo cogitationem retractivam in ea inclusam simul cum voluntate influere in actionem liberam eius. Quo penitus ruit dicta probatio. Ea ergo reiecta.

768

Probo ego propositionem primo. Quia influxus, quem simul cum voluntate praebent in actionem eius cogitationes tum attractiva, tum retractiva non est physicus, sed moralis. Eatenus enim tantum concurrunt simul cum voluntate ad agendum, quatenus per suas entitates formaliter eam reducant inclinam in actu primo tali, tantaque inclinatione ad talem actionem, qualis, & quanta resultat ex earum contemperatione, iuxta dicta loco citato. Actio autem dumtaxat respicit suapte essentialiter entitates voluntatis, aliorumque comprincipiorum, a quibus egreditur physicè; quidquid sit de inclinationibus superadditis, quibus tales entitates inclinantur in actu primo, moraliterque subinde moventur ad elicendam talem actionem. Vnde, quaeunque sint eiusmodi inclinationes, & quocumque modo varientur, nequaquam actio variari debet, sed eadem semper potest persistere, dummodo principia physica, a quibus ea physicè elicitur, semper sint eadem. Quemadmodum actiones aliarum potentiarum, quae voluntati subditae sunt, variari non debent, sed eadem possunt semper esse, quantumvis varientur, diversaeque sint imperia, quibus a voluntate imperantur: quia nimirum non physicè, sed moraliter causantur ab huiusmodi imperijs. Sic eadem actio manus, sic eadem actio intellectus diversis actibus a volunta-

re possunt imperari, & causari. Sic itidem eadem actio ipsius voluntatis per diversa imperia, reflexa ab ipsamet voluntate causari potest. In quo communiter Doctores omnes convenire videntur. Cum igitur per ablationem cogitationis retractivae nihil auferatur, cum quo actio voluntatis connexa sit, siue illa adsit, siue desit, eum illaque consequenter libertas actus primi, eadem actio manere potest. Quae proinde contingenter, & semiextrinsecè vel libera, vel necessaria potest existere; quatenus vel dicta libertati actus primi, vel defectui eius potest coexistere.

Oportet tamen hic advertere discrimen inter cogitationem attractivam, & retractivam. Quamquam enim cum neutra earum actio voluntatis connexa sit, quatenus neutra earum physicè ad elicientiam eius, sed tantum moraliter concurrat, prout dictum est: alio tamen titulo actio voluntatis cum cogitatione attractiva connexa est; cum retractiva verò nequaquam. Quia nimirum per cogitationem attractivam proponitur voluntati illud obiectum, in quod actus eius tendit suapte natura, & cum quo subinde prout voluntati proposito, seu prout a voluntate cognito per talem cogitationem connexus est: vnde & cum ipsa cogitatione est connexus tanquam cum sui obiecti propositione; & consequenter actio talis actus productiva etiam est connexa mediata. At per cogitationem retractivam proponitur voluntati obiectum, in quod actus voluntatis non tendit suapte natura; & cum quo subinde prout proposito, seu cognito non debet connexus esse villo titulo, atque adeo neque actio eius. Vnde concluditur, quod nequam actus, & eius actio sine cogitatione attractiva nequeant existere: bene tamen existere posse absque retractiva, & consequenter absque libertate actus primi voluntatis: eisque proinde libertatem actus secundi contingentem, & semiextrinsecam esse, ut per argumentum praecedens conclusum est.

Id quod, atque adeo propositio data probatur secundo similiter. Quia decretum Dei concurrenti cum voluntate ad eius actionem, quod ad potentiam proximam causativam ipsius actionis intrinsecè pertinet, non physicè, sed tantum moraliter influit in actionem ipsam: influit enim per modum cuiusdam imperij, quo voluntas Dei omnipotentis sibi subdita imperat, ut talem actionem simul cum voluntate creatam physicè eliciat. Vnde, (quemadmodum de cogitationibus dictum est), tali decreto variato, eadem actio physicè oriunda a voluntate creatam simul & ab omnipotentia divina persistere potest. Quare, si talem actionem imperet Deus decreto indifferente, subiecto quoad efficaciam suam creatam voluntatis arbitrio, tunc libera existit voluntas ipsa ad talem actionem simul cum omnipotentia Dei elicendam; necessitata verò est contra, si Deus actionem eandem imperet decreto determinato, independente quoad efficaciam ab illius libertate. Ex hoc ergo itidem capite eadem voluntatis actio vel libera, vel necessaria potest contingenter enadere a libertate, vel necessitate actus primi voluntatis ipsius, atque adeo semiextrinsecè. Quod erat probandum.

Confirmatur, & urgeatur hoc argumentum. Decreta voluntatis divinae perinde imperant actiones divinae omnipotentiae, ac decreta voluntatis humanae imperant actiones potentiae sibi subditae. Sed eadem actio potentiae subditae voluntati hu-

mana à diuersis huius decretis procedere potest, ut apud omnes est in confesso. Ergo eadem actio omnipotentia subditæ voluntati diuine à diuersis huius decretis potest procedere similiter. Quis enim credat, Deo esse impossibile, eundem Angelum per eandem actionem creare ex diuersis motiuis, atque adeo per diuersa decreta? Vt igitur Deus eandem actionem propriam omnipotentia sua potest haud dubie cauere ex diuersis motiuis, atque adeo per diuersa decreta. Ita quoque eandem actionem communem suam omnipotentia, & voluntati creatæ poterit concuſare ex diuersis motiuis, atque adeo per diuersa decreta. Quæ quidem si fuerint indifferentia diuersas libertates, si vero determinata diuersas necessitates actus primi dicæ creatæ voluntatis constituent. A quibus subinde dicæ eadem actio diuersas libertates, diuersasque necessitates contingenter, & semiextrinsecè subire poterit.

773 Tertiò probatur propositio. Quia propter eandem rationem influxus moralis, & non physici imperij in actionem imperatam eadem actio voluntatis potest à voluntate ipsa egredi vel imperata per imperium reflexum, vel non imperata. Si egreditur non imperata, libera poterit euadere libertate immediatâ, ut constat. Si autem imperata, libera quoque euadere poterit libertate immediatâ, sed à præcedente diuersâ, si imperium simplex fuerit; necessaria tamen immediatè, & libera tantum mediatè, si imperium fuerit efficax, iuxta doctrinam de huiusmodi imperijs traditam supra quæst. 12. Eadem igitur actio voluntatis contingenter, & semiextrinsecè potest euadere vel libera, idque diuersis libertatibus, vel necessariâ à libertatibus, vel necessitate actus primi ipsius voluntatis. Et confirmari potest hoc argumentum à simili rursus actionum aliarum potentiarum, quæ voluntati subditæ sunt; quatenus illæ eadem in se, & inuariatæ à varijs diuersisque imperijs voluntatis causari possunt. Deinde confirmari poterit. Quia possibilis citradubium est prædeterminatio necessitans voluntatem ad actionem, in quam non physicè, sed tantum moraliter influat, vti imperium efficax reflexum. Quæ actio subinde & erit necessariâ, tali prædeterminatione existente, & hac sublatâ eademmet poterit esse libera. Præterea confirmari potest. Quia eadem actiones, quæ à voluntate humanâ Christi, aut etiam à qualibet aliâ cuiuscunque Beati propter earum impeccabilitatem necessariò eliciuntur; eo quod omissiones oppositæ forent peccata; liberè proculdubio elici possent ab eisdem voluntatibus, si desset ipsis impeccabilitas. Quandoquidem formæ illam præbentes iuxta communes Theologorum sententias, non physicè, sed moraliter tantum influunt eum talibus voluntatibus in tales necessarias actiones.

773 Quartò probatur propositio. Quia iuxta demonstrationem factam proposit. 1. omissio actus, atque etiam actionis voluntatis, quæ actus quidam eius est negatiuus, contingenter, & semiextrinsecè potest libera esse, idque non solum libertate mediatâ oriundâ ab immediatâ alicuius actus positivi, sed etiam immediatâ conuenienti puræ omissioni prout constat ex doctrinâ stabilitâ supra quæst. 6. & 7. Ergo tantumdem conuenire potest actui positivo, & actioni eius. Probo consequentiam. Quia vel est de conceptu libertatis actus secundi, quod sit essentialis, & intrinseca ipsi actui secundo. Vel non. Si primum. Neque li-

bertas actus secundi negatiui poterit esse ipsi contingens, & semiextrinseca contra demonstrationem citatam. Si verò secundum. Libertas actus secundi æquè esse poterit contingens, & semiextrinseca actui secundo positivo, atque negatiuo.

774 Quintò probatur. Quia eidem entitati voluntatis contingens est, esse liberam, vel necessitatam libertate, vel necessitate actus primi. Ergo & eidem entitati actus, actionisque voluntatis potest esse contingens, quod sit libera, vel necessaria libertate, vel necessitate actus secundi.

775 Sextò probatur. Actiones aliarum potentiarum, quæ voluntati subditæ sunt, contingenter, & semiextrinsecè euadunt liberæ à libertate actus primi ipsius voluntatis: ab hac enim deriuanda venit omnis libertas actus secundi: & hac præcisè intellectâ, nequit non intelligi libera omnis actio ab illâ proueniens siue immediatè, siue mediatè. Ergo actiones quoque ipsius voluntatis ab eiusdem libertate actus primi poterunt euadere liberæ contingenter, & semiextrinsecè.

776 Septimò probatur. In actu amoris voluntatis (tantumdem censè de actione productiua eius) licet cernatur prædicatum connexionis cum potentia proximâ sui: ob idque inferatur benè, voluntas amat, ergo potest amare, non tamen apparet prædicatum connexionis, cum potentia proximâ suæ carentiæ: ob idque non benè inferitur, voluntas amat, ergo potest carere amore: imo talis illatio clarè mala est in Beatis, qui ita Deum amant, ut non possint carere amore eius. Sed neque apparet in actu amoris prædicatum oppositionis cum potentia suæ carentiæ: ob idque, neque inferitur benè, voluntas amat, ergo non potest carere amore: imo mala est clarè talis illatio in voluntate amante liberè. Ergo possibilis est actus amoris indifferens ad coexistendum vel cum potentia proximâ carentiæ suæ, vel cum defectu eius: & consequenter ad coexistendum cum aggregato ex tali potentia, & ex potentia proximâ sui, in quo libertas actus primi voluntatis consistit, vel cum defectu eius. Quod est, possibilem esse actum amoris, qui contingenter esse possit vel liber per coexistentiam cum dicæ libertate, vel necessarius per coexistentiam cum defectu eius.

777 Octauò probatur. Quia possibilis est actio voluntatis, quæ sit contingenter, & semiextrinsecè libera libertate contrarietatis, aut libertate anonyma. Ergo & quæ sit contingenter, & semiextrinsecè libera libertate contradictionis. Consequentia videtur bona à paritate. Antecedens autem probatur. Quia satis ex terminis ipsis videtur apparere, respectu quiditatis actionis à voluntate elicitæ contingens, imo impertinens esse posse quod voluntas, dum illam elicit, potentiam proximam habeat etiam ad eliciendam aliam actionem vel illi oppositam; quo casu contingenter libera euadet illa libertate contrarietatis: vel illi non oppositam; quo casu contingenter pariter illa libera libertate anonymâ euadet.

778 Nonò probatur. Quia, cum sit certum apud omnes, posse Deum absolutè necessitare voluntatem ad quidpiam volendum; durum videtur hanc Dei potestatem restringere, ut tantum possit necessitare voluntatem ad aliquam eorum volitionum, quæ nequeunt esse liberæ illi;

quia sunt omnes essentialiter necessariae; nec possit ad ullam aliarum, quae liberae illi esse possunt; quia essentialiter sunt omnes liberae. Et confirmari potest. Quia tam potens necessitare voluntatem ad actum positivum, quam ad negativum debet censei. Sed potens est necessitare illam ad actum negativum; qui alias potest ipsi esse liber iuxta dicta num. 773. Ergo etiam est potens necessitare illam ad actum positivum, qui alias potest ipsi esse liber. Quod ipsum est, talem actum vel necessarium, vel liberum posse esse contingenter.

779 Decimo denique probatur nostra propositio. Quia actiones, actusque voluntatis, quibus non intrinsece, & essentialiter, sed semiextrinsece tantum, & contingenter conveniat libertas, nullam involunt, aut secum ferunt contradictionem. Igitur sunt possibiles. Consequentia est legitima. Et antecedens constabit ex solutione argumentorum; quibus opposita impossibilitas intenditur ab Aduersarijs probari.

780 Primo enim contra propositionem obijcitur ex Hurtado in hunc modum. Actus libertate libertatis, a qua habet esse bonum, vel malum moraliter, est obiectum specialis amoris, aut specialis odij Dei, quale non est actus non liber, utpote nec moraliter bonus, nec moraliter malus, ut est certissimum. Ergo libertas actui libero contingens, & semiextrinseca esse non potest. Sequeretur enim inde, peccatum odij aliud non esse re ipsa ab aggregato ex physica entitate odij, & ex libertate actus primi voluntatis resultante; similiterque meritum amoris in aggregato ex entitate amoris, & ex libertate voluntatis coalescente consistere. Hoc autem dici non potest. Quia aggregatum ex entitate odij, & ex libertate voluntatis nec potest esse peccatum odij, neque a Deo odibile ut tale; cum neutra pars eius mala moraliter, ut sicque a Deo odibilis sit; & ipsum a suis duabus partibus non distinguatur. Similiterque aggregatum ex entitate amoris, & libertate voluntatis nec bonum moraliter, nec, ut tale a Deo amabile potest esse, cum neutra pars eius talis sit, ipsumque, & ambae partes eius prorsus sint idem. Vnde concluditur, libertatem actus secundi voluntatis, & consequenter moralitatem, hoc est bonitatem, vel malitiam moralem ipsi actui essentialem, realiterque identificatam poni debere.

781 Sed primum, hoc argumentum doctrinam trahit valde difficilem, & in materia de peccatis plerisque Theologis exosam, nempe, malitiam, moralem peccati esse quid physicum ab actu physico indistinctum. Deinde multas instantias patitur ab Aduersario necessario admittendas. Primo enim occisio externa hominis liberè facta, specialiter est iniusta Deo, utpote moraliter mala; & tamen nemo dixerit, talem actionem intrinsece, & essentialiter esse liberam, & malam moraliter. Secundo actus honestus a iusto elicitus idem ab eodem elici posset, si iniustitia careret; & tamen elicitus a iusto aliter, ac, si eliceretur a peccatore, respicitur a Deo. Tertio multa amantur ut bona, aut odio habentur ut mala, quarum bonitas, aut malitia ab aliquo extrinseco provenit, quod tamen in se aut non bonum, adeoque neque amabile, aut non malum, adeoque neque odibile est. Amat flagellatio hominis propter bonitatem punitionis ei extrinsece provenientem a talis hominis delicto commisso: quod tamen in se neque bonum, neque amabile est. Amat

collatio pecuniae ob bonitatem elemosinae, quam a miseria eius, cui confertur, illa participat extrinsece, quae tamen miseria neque bona est, neque amabilis. Habetur odio effusio sanguinis propter malitiam sacrilegij ei provenientem a circumstantia extrinseca loci sacri, qui tamen locus nec malus, nec odibilis est. Amo scissionem venae praesente febre, quam eandem non amarem, si sanus essem; cum febris nec mihi sit bona, nec illam amem. Odio habeo calorem tempore aetatis, quem eundem hinc me appeterem; & tamen tempus illud non odi, neque istud appeto. Aliaque huiusmodi sunt sexcenta.

Igitur ad argumentum oppositum ex universali doctrina latius tradenda infra disput. 32. quaest. 5. respondeo breuiter, actum bonum, aut malum moraliter semiextrinsece liberum, bonumque, aut malum esse. Eiusque libertatem, proinde, bonitatemque, vel malitiam ea omnia fundamenta includere in suo conceptu reali, ex quibus denominationes semiextrinsecae liberi, bonique, vel mali sumuntur. Quia tamen denominationes istae directae, & tanquam subiectum solum actum ipsum important, caetera autem dicunt oblique, siue de connotato, solus actus est, cui convenit, esse liberum, & bonum, vel malum; & consequenter solus actus est, quem, ut talem Deus vel speciali amore, vel speciali odio prosequitur, habentibus se caeteris connotatis ut conditionibus obiectivis ad talem amorem, vel odium, prout fuit explicabitur loco citato. Paulo aliter respondent alij ad argumentum factum. Sed minus bene, ut apparebit ex ibidem dicendis.

Secundo obijcitur ex eodem. Voluntas quatenus libera in actu primo est principium physicum actus secundi etiam quatenus liberi: actusque secundus prout liber physicum exercitium est talis principij. Ergo libertas actus secundi non potest non esse quid physicum cum actu ipso identificatum. Multi censent, voluntatem ideo non esse quatenus liberam principium causatum actus secundi liberi; quia cogitatio retrahens inclusa in illius libertate in actum secundum liberum nullatenus influat. Quorum doctrinam ego reieci num. 767. Quare ad argumentum hoc aliter, quam illi, respondeo consentaneè ad dicta num. 768. voluntatem quatenus liberam principium esse partim physicè, & partim moraliter causatum actus secundi liberi, non tamen quatenus liberi reduplicativè, sed quoad substantiam eius praecise, quae, dum procedit a tali principio, semiextrinsece denominatur libera ab illius libertate. Vnde actus secundus liber nec est prout liber exercitium dicti principij, nec est quoad substantiam integri illius exercitium physicum, sed ut summum eius partis in illo incluse, a qua nascitur physicè. Dico ut summum; quia non tam actus, quam actio factiva eius est tale exercitium.

Tertio obijcitur ex Elparza, & alijs Recentioribus. Omnis actus liberè elicitus ex suo conceptu est essentialiter comparativus eorum extremorum, inter quae versatur libertas arbitrij, utpote intrinsece prosequitur unius, & reiecitivus alterius, perfectivus, & adnativus inclinationis praeviae ad unum, & impeditivus, ac superativus ad alterum, ac deum contentiosus, & pugna, adhaerens uni motivo cum victoria alterius trahentis ad oppositum.

tum. Hoc enim ipso, quod voluntas libera inclinationes oppositas habet in actu primo procedentes à motibus appositis, sicut non potest non alteram earum sequi, siue acceptare, redigereque positivè ad actum secundum, ita non potest non alteram rejicere, seu cohibere, & superare positivè per ipsum actum secundum. Qui proinde intrinsecè, & per essentiam suam æquè habet contemnere, rejicereque motuum, quod contemnit, rejicitque de facto, atque resistere inclinationi prævia ad illud, eamque superare; ac habet amplecti, seu prosequi, & præferre motuum, quod amplectitur, seu prosequitur, & præferre de facto, atque conformari inclinationi prævia ad illud, eidemque succumbere. Quod ipsum est, tale actum secundum intrinsecè, & per essentiam suam liberum esse. Confirmant: Quia actus opinativus intellectus intrinsecè, & essentialiter differt ab actu scientifico. Ergo actus liber voluntatis intrinsecè, & essentialiter differt à necessario.

785 Vt clarè argumentum hoc diluatur, citi Re-
centiores videntes illo valde fidunt, solerter ad-
nertendum imprimis est, non omnia motiva, ex
quibus coalescit inclinatio voluntatis ad eum
actum positivum, quem de facto elicit, respici
per ipsum actum essentialiter & intrinsecè, sed
aliqua, aut aliquod eorum duntaxat. Vnde se-
quitur, talem actum neutiquam habere intrinse-
cè, & per essentiam suam prosequi, acceptare,
& amplecti dicta omnia motiva, inclinationemque
ex eis compositam, à quibus de facto procedit,
sed aliqua, vel aliquod eorum tantum. Ex quo
rursus sequitur, multò minùs habere illum in-
trinsecè, & per essentiam suam contemnere, rejicere
que motiva opposita, resistereque inclinatio-
ni, quæ ex illis resultat, eamque superare.

786 Pro quorum intelligentiâ suppono primò,
motiva inclinantis voluntatem ad aliquem actum
elicendum alia esse formalia, alia obiectiva.
Formalia sunt actus interni aut intellectus, aut ip-
sius voluntatis, aut etiam imaginationis, & appe-
titus sensitivi. Obiectiva verò sunt obiecta, in-
quæ tendunt, seu quæ respiciunt tales actus.
Motiva autem obiectiva rursus duplicia sunt.
Alia, quæ dicuntur intrinseca respectu actuum,
ad quos inclinant; eo quod per ipsos actus in-
trinsecè, & essentialiter respiciuntur, uti per
actum amoris Dei respicitur bonitas divina.
Alia, quæ respectu actuum ad quos inclinant,
dicuntur extrinseca; quia ab ipsis intrinsecè, &
essentialiter non respiciuntur, uti se habet iustifi-
catio respectu actus amoris Dei, quando hic per
actum reflexum ex fine iustificationis obtinendæ
imperatur à voluntate; in tali enim casu iustifica-
tio motuum extrinsecum est actus amoris Dei,
utpote à quo nullo intrinsecò respectu respicitur.
Ex motibus verò, quæ per actus, ad quos movent,
respectu intrinsecò respiciuntur, alia immediatè
respiciuntur, uti divina bonitas per actum amo-
ris Dei, alia respiciuntur tantum mediatè, ut fi-
nis præteritus per electionem mediorum. Et
hæc licet ab aliquibus dicantur etiam motiva
extrinseca; sed meliùs dicantur motiva intrinse-
ca mediata, ut discriminentur ab eis extrinsecis,
quæ ab actibus, ad quos movent, nullo respectu
intrinsecò respiciuntur.

787 Suppono secundò, motiva obiectiva non
physicè, sed intentionaliter (quod genus quod-
dam est influxus moralis) in eos actus, ad quos
movent influere simul cum voluntate. Motiva

autem formalia aut se nper etiam, aut plerunque
saltem concurrere simul cum voluntate ad actus,
ad quos movent, non physico, sed morali tantum
influxu; quatenus scilicet, veluti sympathia qua-
dam interveniente; per suam physicam existen-
tiam formaliter reddunt inclinam voluntatem
ad tales actus elicendos. In quo differunt à mo-
tibus obiectivis, quæ non per physicam, sed per
intentionalem sui existentiam, quam obiectivè
habent in sui cognitione, similiter reddunt quasi
formaliter inclinam voluntatem ad actus ipsos.
Ex quo fit, ut neque actus voluntatis, neque eo-
rum actiones debeant respicere respectu intrin-
seco, & essentiali motiva aut formalia, aut obie-
ctiva à quibus dictis modis causantur eo titulo,
quod ab eis causantur. Quia, ut dicebanus
num. 768. actiones productivæ effectuum tan-
tum respiciunt essentialiter causas physicas, à
quibus physicè egrediuntur, non verò item cau-
sas morales, à quibus physicè quoquo modo
inducuntur ad tales actiones elicendas. Effectus
autem ne suas quidem causas physicas, præter
vnam primam debent respicere essentialiter eo
titulo, quod ab eis sunt: siquidem idem ealor
factus ab hoc igne, non ab ipso, sed vel ab alio,
vel à sole potuisset fieri, ut fert communis phi-
losophia. Quod si actus voluntatis sui motiva
obiectiva intrinseca respiciunt essentialiter, id cer-
tè non habent, quia ab eis causantur, sed quia
tendentia quadam sunt in illa suapte essentia;
idemque proinde, etiam si ab eis non causaren-
tur, haberent, uti eveniret, si à Deo voluntati
infunderentur, ipsa non cooperante, & consequen-
ter nec ipsis motibus concurrentibus.

787 Ex his inferitur primò, actum liberum
neutiquam debere respicere respectu essentiali,
& intrinsecò integram inclinationem voluntatis
ad ipsum: quia tantum debet sic respicere mo-
tivum obiectivum intrinsecum sui inclusum in
illâ, & consequenter cogitationem qua illud præ-
ponitur: non verò motiva extrinseca, nec pas-
sionem appetitus, nec hoc determinatum decre-
tum concurrenti Dei, nec negationem omnis for-
mæ prædeterminativæ sui, nec cætera, siqua
sunt, quæ dictam inclinationem complent. Se-
cundò inferitur, inclinationem oppositam aver-
tentem voluntatem ab actu libero nihil in se clau-
dere, quod debeat respici ab ipso actu respectu
essentiali, & intrinsecò: quia nullum motivum
obiectivum claudit in se, in quod talis actus sit
tendentia suapte essentia, & quod ob id sit mo-
tivum intrinsecum eius: cætera autem, quæ il-
lam complent nullatenus respici debere ab ipso
actu respectu essentiali, palam ex dictis est. Vnde
actus liber ab omni intrinsecò, & essentiali respec-
tu ad dictam sibi averfam voluntatis inclinatio-
nem penitus potest esse absolutus. 788

788 Ex quibus duobus tandem inferitur iuxta
præmissa num. 785. actui libero nequaquam de-
bere intrinsecas, & essentielles esse denominatio-
nes obsequentis inclinationi voluntatis ad ipsum,
& eam amplectentis, resistentisque inclinationi
oppositæ, & eam superantis; sed semiextrinsecas, &
contingentes illi esse posse. Et quidem, cum in-
impulibus, in ponderibus, in calore, & frigore,
in aliisque externis, ac oppositis qualitatibus
actioni vnius proculdubio sint semiextrinsecæ, &
contingentes denominationes resistētis contra-
riæ, & illam vincentis, seu superantis; certè non
est, cur in inclinationibus oppositis voluntatis
tantumdem evenire non possit; quantumvis Ad-

uersarij conentur disparitatem reddere, Vnde demum concluditur, denominationem itidem liberi semiextrinsecam, & contingentem actui voluntatis esse posse. Neque intrinsecam, & essentialem esse debere, vt contendeat argumentum propositum num. 784. Ad cuius confirmationem dico vno verbo, cum obscuritas, & euidentiā ab actibus intellectus, quibus conueniunt, sint realiter indistincta, actum opinatiuum, & actum scientificum, qui penes eas differunt, non posse non inter se differre essentialiter. At, cum libertas, & necessitas actibus voluntatis, quibus conueniunt, semiextrinsecā possint esse, vti probatum est; actum liberum, & necessarium accidentaliter tantum, & contingentem differre posse. Quia omnia ex dicendis circa proposit. 5. magis confirmabuntur.

790 Quartò obijcitur ex Lynceo. Libertas actionis consistere nequit in aggregato ex actione, & libertate actus primi voluntatis. Ergo debet esse intrinseca, & essentialis actioni ipsi. Consequentia est bona. Et antecedens probatur. Quia, si voluntas existens in instanti A cum libertate actus primi non agat in eo; agat verò existens in instante B iam sine libertate actus primi, dabitur à parte rei aggregatum ex libertate actus primi, & actione partim in instanti A, & partim in instanti B; & tamen actio non erit libera. Ergo libertas eius nequit consistere in tali aggregato.

791 Nec dici potest, consistere illam in tali aggregato, non vtrunque, sed vt adæquatè existente in eodem instanti temporis. Quia hoc erit, non in solo aggregato actionis, & libertatis actus primi illam consistere; sed insuper includere durationes (scilicet superadditas), quibus actio, & libertas actus primi in eodem instanti temporis sibi coexistunt. Hoc autem dici non potest. Primò; quia, si Deus absolueret voluntatem cum sua libertate actus primi ab omni tempore, adhuc posset liberè agere: actioque eius in tali casu non esset voluntati prout libera in actu primo coexistens in eodem tempore. Secundo; quia, supernaturaliter posset dari aliqua actio nec libera, nec necessaria; quod est absurdum. Si enim voluntas libera in actu primo poneret actionem, & non poneret durationem eius, præbente illi Deo suum concursum ad primum, & illum supernaturaliter negante ad secundum; talis actio nec esset libera ob defectum suæ durationis; nec esset necessaria; quia à voluntate non necessitata, sed libera in actu primo oriretur. Tertio; nam, cum duratio actionis posterior sit ipsa actione, libertas actionis per aliquid actione ipsa posteriori constitueretur; quod repugnat. Quia de conceptu libertatis est potentia ad non existendum; repugnatque potentia ad non existendum ipsam existentiam supponens naturā priorem. Mitto alia leuiora.

792 Respondeoque ad argumentum casum, in quo illud fundatur, non esse ad rem. Quia libertas actionis ipsam actionem, & libertatem voluntatis importat in suo reali conceptu, non prout durantes in distinctis temporis instantibus, sed prout durantes in eodem. Ad duas autem priores probationes replicæ factæ contra hoc facile respondendum venit ex communi Doctorum doctrinā, quam aduersus ipsum Lynceum singulariter eam deserentem statuimus, ostendimusque tom. 1. disput. 8. quest. 6. nimirum impossibile omnino esse, vt existat aliquod ens absolutum ab omni tempore. Hunc enim sequitur

primò, voluntatem absolutam ab omni tempore nequaquam posse operari liberè & tum quia absoluta ab omni tempore non potest existere, & eius operatio sine eius existentia stare nequiturum quia non potest ponere suam operationem existentem nisi in aliquo tempore: tum quia solum potest ponere existentem suam operationem in eodē ipso tempore, in quo existit ipsa. Secundo sequitur, esse etiā omnino impossibile, quòd voluntas ponat suam actionem, & eius durationem non ponat, præbendo sibi concursu Dei ad primum, & non ad secundum. Quia id ipsum esset, existere actionem voluntatis ab omni tempore absolutam contra suppositionem factam. Quibus duæ priores probationis replicæ obiectæ contra doctrinam nostram disiectæ manent.

Ad tertiam autem in eo fundatam, quòd duratio actionis posterior naturā est ipsa actione; cuiusque proinde libertatem non potest constituere, respondet Ribadeneira, durationem actionis ipsi comitantem, aut certè identificatam poni debere, nec posteriorem poni posse. Quo probatio ipsa corrui. Ego vero, cum aliunde censeam, plerisque saltem actus voluntatis creatæ, & consequenter actiones factiuis eorum se ipsi durare iuxta dicta supra quest. 14. num. 670. ex hoc capite subuerto item fundamentum dictæ probationis. Addo tamen primò, durationes rerum in actionibus factiuis earum vniuersaliter non consistere, sed in alijs modis eis superadditis, vt disput. 8. citatā quest. 1. probaui contra Cardin. de Lugo. Secundo, modum superadditum durationis non posse non esse posteriorem naturā re durante, saltem posterioritate dependentiæ non mutua, prout supponi etiam loco citato, (quidquid sit de posterioritate causalitatis materialis, seu subiectiue); quatenus scilicet quatenus determinata duratio cum re per ipsam durante conexa est non mutua. Tertio, prædictam probationem à Lynceo factam contra nos nequaquam obligare ad ponendam durationem actionis semiextrinsecè liberæ aut ei comitantem, aut cum ipsa identificatam. Est quippe ea quadam argumentatio fallax, quæ, si quid probaret, omnem omnino libertatem actus secundi siue intrinsecam, siue semiextrinsecam ipsi è medio tolleret contra omnes. Nam omnis libertas actus secundi existentiam ipsius supponit; cum plane repugnet, existere libertatem actus secundi, ipso actu secundo non existente. Cum ergo ex suppositione, quòd actus secundus existit, eum non existere sit impossibile; ex suppositione, quòd libertas actus secundi existit, impossibile est, actum secundum non existere, potentiaque subinde deest ad non existentiam, seu carentiam actus secundi, quæ est de conceptu libertatis. Ex suppositione igitur, quòd libertas actus secundi existit, & ea existit; quia supponitur; & non existit; quia deest vnum ex eius constitutiuis, nempe potentia ad carentiam actus secundi. En tuam fallaciam militantem contra omnem libertatem actus secundi, atque adeo contra te ipsum, & contra omnes.

Pro omnibus ergo dicendum est, libertatem tum actus primi, tum etiam actus secundi per eam duntaxat potentiam ad carentiam actus secundi constitui, quæ antecedens est tum ad ipsum actum secundum, tum ad eius carentiam, præcipientemque ab utroque extremo, & est potentia ad carentiam actus secundi in sensu quòd ipsius actus secundi. Hac autem potentia semper adest, etiam ex suppositione, quòd existit actus secundus; tamen ex hac suppositione deest

imo repugnat alia potentia ad carentiam actus secundi, quæ consequens esset ad existentiam actus secundi, & in sensu composito eius. Vnde ex suppositione existentia libertatis actus secundi, subindeque & ipsius actus secundi neutiquam deest ea potentia ad carentiam actus secundi, quæ constitutiva est libertatis tum actus primi, tum etiam ipsius actus secundi. Quo casu redditur argumentatio facta, eiusque fallacia detecta.

797 Itaque conceptus realis libertatis actus secundi ex duabus partibus constituitur spectantibus ad diuersa signa naturæ intra idem instans temporis: vna est tota libertas actus primi spectans ad signum naturæ anterioris, altera est ipse actus secundus prout in eodem instanti temporis coexistens illi spectans ad signum naturæ posterioris. Cum enim voluntas non possit agere, nisi in eodem instanti temporis, in quo ipsa existit, necesse est, vt potentia proxima eius ad agendum, vel non agendum, quæ libera est actus primi, sit ad agendum, vel non agendum in eodem instanti temporis, in quo ipsa existit. Vnde rursus necesse est, vt exercitium libertatis actus primi naturæ prioris, (quod eo ipso est natura posterioris, & liberum in actu secundo), sit ipsum agere, vel non agere voluntatem in eodem instanti temporis, in quo ipsa existit, quidquid importet in conceptu suo hoc, quod est, voluntatem agere, vel non agere in tali instanti. Hac satis clara.

796 Ex his autem inferitur primo, ad libertatem actus secundi positui impertinens esse, quod duratio actionis voluntatis sit cum actione ipsa identificata, vel ab eâ distincta, habentque cum illâ ordinem aliquem naturæ, aut comitantis, aut posterioris. Dummodò enim verificetur, voluntatem cum libertate actus primi agere in eodem instanti temporis, in quo ipsa existit, consequenter verificabitur liberum esse libertate actus secundi positui: hoc, quod est, ipsam agere in tali instanti: quidquid demum hoc, quod est, ipsum agere in tali instanti, in suo conceptu reali dicatur importare.

797 Secundo inferitur, impossibile omnino esse, quod aliqua actio voluntatis sit essentialiter libera, quin sit essentialiter libera duratio eius, & consequenter etiam actio talis durationis productiua. Hac illatio contra Lynceum est quatenus asserentem, esse intrinsecè, & essentialiter liberam actionem productiuam amoris, illius verò durationem cum suâ productione semixtrinsecè tantum, & contingenter liberam esse. Illa tamen satis clare videtur ostendi. Quia, vt supponit ipse Lynceus, & tenent omnes, constatque ex dictis, cum sit impossibile, vt voluntas liberè agat, nisi in eodem instanti temporis, in quo ipsa libera existit; consequenter est impossibile, vt actio voluntatis libera existat libertate actus secundi sine coexistentiâ sui in eodem instanti temporis cum voluntate, & cum eius libertate actus primi. Vnde omnis libertas actus secundi cuiuslibet omnino actionis liberae necessario fert secum coexistentiam talis actionis cum voluntate, cuius est actio, & cum eius libertate actus primi in eodem instanti temporis; vel quia talem coexistentiam includit in suo reali conceptu; vel saltem quia cum illâ essentialiter connexa est. Ex quibus manifestè concluditur, actionem essentialiter liberam vt minimùm debere esse connexam cum coexistentiâ sui, & libertatis actus primi voluntatis, cuius est actio, in eodem tem-

poris instanti; quod est, connexam esse cum duratione dictæ libertatis, & cum duratione sui eodem temporis instanti correspondentibus. Cumque duratio talis actionis in tali temporis instanti cum actione ipsa vicissim connexa sit, mediata saltem connexa erit cum dictâ libertate actus primi prout in eodem instanti durante, cum qua item mediâ ipsâ duratione productio eius connexa erit. Sicque duratio actionis, & eius productio essentialiter erunt liberæ. Quod erat ostendendum.

798 Et confirmari potest. Quia, si actio essentialiter libera titulo talis cum sola libertate actus primi aut sumpta præcisè, aut prout durante in quouis instanti connexa esset, non verò etiam cum duratione sui in eodem instanti; sequeretur, posse esse essentialiter liberam actionem elicitam à voluntate necessitata ad ipsam in actu primo: quod planè absurdum est, & chymericum. Pone enim voluntatem liberam in instanti A ad actionem suapte essentialiter connexam cum eâ libertate, aut præcisè sumptâ, aut prout durante in eo instanti, quam tamen in ipso voluntas liberè omittat, eliciat tamen eam in instanti B sequente necessitata iam ad eandem; vt est possibile: quia nihil est in casu posito, quod id impediat: eritque talis actio essentialiter libera ob connexionem cum libertate præhabita à voluntate in instanti A, elicitaque à voluntate necessitata ad ipsam in instanti B. Quod erat absurdum probandum.

799 Quintò obijcitur contra nostram propositionem. Potentia libera differt essentialiter à necessaria. Ergo actus liber differt essentialiter à necessario. Respondeo, potentiam proximè liberam non differre à proximè necessaria essentialiter: nam eadem entitas voluntatis & proximè libera, & proximè necessaria esse potest, variatis accidentibus: quo pacto etiam actus talis potentia modò liber, modò necessarius accidentaliter potest esse. Si verò sit sermo de potentia remota liberâ, hoc est de entitate, quæ potest esse libera proximè, certum est, hanc differre essentialiter ab aliâ entitate, quæ libera potentia non potest esse, vt est substantia ignis. Vnde actus ignis essentialiter etiam, & intrinsecè differt ab actu voluntatis: quia hic liber esse potest; ille verò non item. Hinc, sicut libertas proximè perfectio accidentalis est voluntatis: ita libertas actualis perfectio accidentalis potest esse actus eius; tamen huius perfectio essentialis sit, posse esse liberum accidentaliter; vt & illius est perfectio essentialis, posse esse liberam proximè. Quo obiectioni alteri, quæ fieri solet, obiter ingressus manet occlusus.

800 Sextò obijcitur. Vitalitas est essentialis actui voluntatis. Ergo & libera. Nego consequentiam. Quia vitalitas ex prædicatis euidenter essentialibus actui voluntatis est: cum sit euidens, nullum actum voluntatis posse esse non vitalem. Non sic libertas; cum potius sit euidens, aliquem actum voluntatis posse esse non liberum.

801 Septimò obijcitur. Homo operans liberè manifestè cognoscit, se liberè operari, vt ex Scriptura sacra, ex consensu Patrum, atque Philosophorum consensu, & ex apertis experiencijs demonstrant Theologi; prout videre est apud Bellarm. lib. 4. de Grat. & libero arbitr. à cap. 7. Soar. disp. 19. Metaph. lect. 2. à num. 13. Quiedo controu. 12. de Anima punct. 1. Carlet. 1. part. disp.

disp. 8. & apud alios. Sed cognoscere hominem, se libere operari, non est cognoscere suam operationem prout semiextrinsecè coexistentem libertati, quam ab indifferentià cogitationum, & motuorum habet voluntas in actu primo. Ergo eà cognoscere suam operationem prout habentem peculiarem modum tendendi intrinsecum, & ab ipsa indistinctum; in quo libertas eius posita est. Cetera, præter minorem, constant. Minor autem probatur. Quia, si Deus eisdem existentibus cogitationibus, & motibus indifferentibus, quibus homo operatur libere, necessitaret eum ad operandum per prædeterminationem aliquam ignotam ipsi, ut est possibile: tunc talis homo cognosceret pariter suam operationem, prout dictis cogitationibus, & motibus indifferentibus coexistentem: & tamen non cognosceret eam liberam; quia talis reuera non esset. Igitur operationis libertas non in eà semiextrinsecè coexistenti, sed in modo peculiari tendendi ipsi intrinsecò, & essentiali consistit.

802 Respondeo ex doctrinà tactà à Soar. num. 16. euidentiã, quam habemus homines de libertate nostrarum operationum non metaphysicam, seu metaphysicè infallibilem esse, sed physicam, seu naturalem; cuiusmodi sunt cetera ferme euidentiã nostrã, quæ fundantur in experientia, quibus proinde metaphysicè non repugnat fallibilitas, siue falsitas in casibus præternaturalibus, atque miraculosis. Qualis esset casus, in quo homo habens cetera requisita ad libertatem operandi, & non operandi per prædeterminationem occultam necessitaretur ad operandum. Est quippe carentia huiusmodi prædeterminationis tam debita connaturaliter homini habenti cetera ad libertatem requisita, ut ipsi libertas non impediatur; quam debitus est connaturaliter concursus Dei igni habenti cetera requisita ad comburendum, ut ipsi non impediatur combustio. Vnde, sicut Chaldaei, qui tres Pueros in fornacem Babilonicum proiecerunt Daniel. 3. euidenter euidentiã physicã iudicabant, eos ab igne comburendos, & tamen, interueniente miraculosa negatione diuini concursus debiti igni, decepti sunt; non quòd obiectum iudicij eorum fuerit in casu miraculosa diuersum, ac fuisset in casu defectus eius; sed quòd in primo falsum fuit idem ipsum, quod foret verum in secundo. Ita homo, qui experitur se habere cetera ad operandum libere requisita, æquè euidenter euidentiã physicã iudicat, se libere operari, cum adest ei miraculosa prædeterminatio necessitans, ac iudicaret, si deesset, eademque operationis libertas (cæque haud dubiè semiextrinsecè) est in utroque casu obiectum iudicij eius. Fallitur tamen in primo præternaturali, atque adeò extraordinario casu: quia obiectum iudicatum reuera non datur, non fallendus in secundo ordinario: quia obiectum iudicatum daretur, ut connaturaliter dari debet. Ex quibus patet, per argumentum factum nihil confici contra nos.

803 Mitto alia quædam, quæ contra nostram propositionem ab aliquibus adiungi solent. Quia leniora sunt: & quæ ex dictis ab vnoquoque, facile dilui possunt.

Propositio 3.

Humanæ voluntati prout connaturaliter operanti in statu præsentis actus, actionesque factiue eorum, quibus libertas sit intrinsecè, & essentialis, impossibiles sunt.

Ut probem hanc propositionem, suppono primò, esse intrinsecam, & essentialem libertatem alicui actui voluntatis, aliud non esse reipsa, quàm habere talem actum intrinsecam, & essentialem connexionem cum libertate actus primi talis voluntatis; tantundemque est de libertate actionis factiue actus. Quare, si probatum fuerit, voluntati humane prout connaturaliter operanti in statu præsentis impossibiles esse actus intrinsecè, & essentialiter connexos cum libertate actus primi eius, similiterque actiones actuum factiuas, probata manebit propositio.

Suppono secundò, nulli enti attribui posse, nisi temerè, & improbabiler, connexionem metaphysicam, seu essentialem cum alio quopiam, quando in nullo prædicato essentiali talis entis ita relucet talis connexio, ut ipsi annexa videatur. Est certum. Nam alioquin integrum vnicuique esset, ex quolibet antecedente quolibet consequens, quantumvis disparatum, inferre, conficta sibi in tali antecedente connexionem cum tali consequente: nullumque ens censendum esset disparatum respectu alterius. Quæ clara absurda sunt. Itaque ex aliquo prædicato entis debet nasci, seu sequi tanquam passio metaphysica eius, quòd illud cum alio quopiam metaphysicè connexum sit. Vnde talis connexio ex nullo eorum prædicatorum entis dici potest enalci, quæ ipsi, & alijs entibus illa manifeste carentibus communia sunt, ut est notissimum: quare, ut ipsi tribuatur aliud specialius prædicatum est assignandum, in quo illa fundetur.

Suppono tertio ex dictis quæst. 5. proposit. 10. aliisque tactis, libertatem actus primi voluntatis in suo reali conceptu includere tanquam intrinsecè constitutiuam sui, præter ipsam voluntatem, cogitationem retractiuam eius ad actum secundum, & cogitationem retractiuam ab eodem, quæ in nobis pro statu præsentis duæ realiter inter se distinctæ esse debent, ut statim quæst. 15. num. 687. tum decretum Dei præparatiuum sui concursus, quod meã & communem sententiã indifferens, & antecedens natura est; tum carentiam, seu negationem omnis forme prædeterminatiue voluntatis, sicque ablatiue libertatis eius ad talem actum; & siquæ ad ipsum alia principia sunt requisita, ut habitum supernaturalem, quando ille est supernaturalis, &c.

Suppono quartò, tamen omnes actus tales intentionales tam appetendi, quàm cognoscendi per se ipsos nobis se se notificent experientiali quadam, & imperfectè notitiã realiter ab entitate suã indistinctã iuxta doctrinam à nobis traditam in Pharo Scient. disput. 1. quæst. 1. hypoth. 18. huiusmodi tamen experientialem notitiã, quam actus intellectus, sicut & ceteri, præbent de se, nullatenus esse sufficientem, ut in illos tanquam in obiecta possit voluntas ferri per suos actus. Nam, sicut voluntas in actus sensuum exteriorum, & interiorum, & appetitus

fenstrui tanquam in obiecta ferri non potest mota immediate ab experimentalis notitia, quam ipsi per se de se ipsis anima præbent, sed opus est, ut intellectus illos intelligat, perque suas intentiones voluntati proponat, ut hæc in illos tanquam in obiecta ferri per actus suos possit; ut apud omnes est in confesso. Ita in ipsius intellectus actus tanquam in obiecta neutiquam potest ferri voluntas mota immediate ab experimentalis notitia, quam ipsi per se de se ipsis anima præbent, sed opus est, ut intellectus per alios actus reflexos illos intelligat, & voluntati proponat, ut hæc in illos tanquam in obiecta per suos actus possit ferri. Quia non est, cur actus intellectus præ cæteris omnibus intentionalibus censeantur sufficienter propositi voluntati, ut hæc in illos tanquam in obiecta ferri possit, per dictam experimentalis notitiam, quam de se per se præbent anima. Quo posito, sequitur, nullum à voluntate nostrâ actum elici posse respicientem aliquem actum intellectus tanquam obiectum, nisi hic per alium ipsius intellectus actum reflexum sit illi propositum. Tamen si nullus in voluntate nostrâ sit actus, qui non respiciat alio titulo aliquem actum intellectus, scilicet tanquam propositionem obiecti, in quod ille tendit. Tendit enim suapte essentia omnis actus voluntatis in aliquod obiectum, non utcuque, sed ut propositum per actum intellectus; eiusque tendentia subinde nequit non attingere, siue respicere utrumque, ynumquodque suo modo; obiectum scilicet tanquam obiectum, & actum intellectus de illo tanquam ipsius obiecti propositionem. Itaque ut actus voluntatis respiciat intentionem tanquam sui obiecti propositionem, alia intentione reflexa de illâ non eget; eget tamen, ut illam respiciat tanquam obiectum.

808 Suppono quintò, ex obiectis, quæ per actus voluntatis respiciuntur intrinsecè iuxta dicta num. 786. alia esse, quæ respiciuntur respectu amoris, vel odij: quia, vel amantur, vel odio habentur per ipsos actus: alia verò, quæ respiciuntur respectu connotationis, quia nec amantur, nec odio habentur per ipsos actus, sed connotantur, seu tanguntur, seu respiciuntur tanquam connotata quedam, seu circumstantias, seu conditiones obiectiuas à quibus alia obiecta, quæ amantur, vel odio habentur, suam amabilitatem, vel odibilitatem sortiuntur. Vide quæ de huiusmodi utrisque obiectis diximus supra n. 781. & 782. & quæ suscitâ dicemus infra disp. 32. quest. 5. Sat sit ad præsens propositum scire, actum voluntatis cum obiecto quouis ex dictis duobus modis à se respectu connecti essentialiter, non quidem prout habente esse reuera, sed prout representato voluntati per cognitionem: quidquid sit de talis cognitionis veritate, vel falsitate.

809 His ita suppositis, venio ad probandam propositionem. Statuoque primò, ut magis certum, actus voluntatis humane, prout ordinario modo sunt ab eâ, intrinsecè, & essentialiter non esse liberos: quia cum libertate actus primi ipsius voluntatis intrinsecè, & essentialiter connexi non sunt. Volitio enim libera e. g., quæ vult homo orare ob honestatem orationis, dumtaxat respicit suapte essentia ex parte quidem obiecti orationem, & eius honestatem, ex parte verò subiecti, siue principij voluntatem, & cognitionem, quæ oratio prout honesta est illi proposita; cum hisque proinde terminis dumtaxat est con-

nexa essentialiter; non item cum cæteris, quæ libertatem actus primi voluntatis complent; atque adeò neque cum ipsâ libertate, imò cum dictis terminis non est connexa titulo effectus provenientis ab illis, sed cum oratione, & eius honestate titulo tendentia in illas tanquam in obiectum, cum cognitione autem titulo propositionis illarum, & cum voluntate titulo actus intentionalis, quo voluntas exercetur volendo. Quam proinde connexionem cum eisdem terminis retineret ipsa orandi volitio, etiam si à Deo solo infunderetur voluntati, (quo casu nullus eorum ad eam casualiter concurreret), ut potuit de potentia absoluta fieri iuxta communior sententiam, quam ego amplexus sum in Phæro Scient. disput. 2. quest. 1. lam. quòd cum cæteris complentibus libertatem actus primi iuxta suppositionem tertiam non sit connexa dicta volitio, & consequenter neque cum ipsâ libertate, inde constat: quia nec est connexa cum illis titulo effectus ab eis causati, tum propter dicta uniuersè num. 768. & 787. tum quia à Deo solo, illis non concurrentibus, causari posset, ut dicebam nuper: nec est connexa cum illis titulo tendentia respicientis illa villo modo; eoquòd nullatenus potest tendentia esse versus decretum concurrenti, negationemque prædeterminationis; cum duo hæc non aduertantur, adeòque nec sint proposita voluntati per ullam cognitionem, neque est tendentia in obiectum cognitionis retractiua, puta laborem, seu quodvis aliud orationis incommodum: quia voluntas per volitionem, de qua agimus, nec tendit in tale incommodum, nec in orationem prout subest illi, seu prout connotat illud; sed tantum in orationem prout honestam eâ honestate, quam per se habet cum præcognitione ab ipso incommodo: taleque incommodum subinde neque respectu amoris, neque respectu connotationis respicitur ab ipsâ volitione, iuxta dicta suppositione quinta: à qua consequenter nullo respectu respicitur illius propositio, quæ est cogitatio retractiua. Ex quibus omnibus concluditur, volitionem liberam orandi, atque adeò cæteros actus voluntatis humane, prout ordinario modo fiunt ab eâ, cum ipsius libertate actus primi intrinsecè, & essentialiter non esse connexos; intrinsecèque proinde, & essentialiter non esse liberos. Quòd erat probandum.

Quòd autem neque actiones talium actuum 810 factiue intrinsecè, & essentialiter liberae sint, inde facile ostenditur. Quia vnaquæque earum ex parte effectus tantum connectitur mediata cum illis terminis, cum quibus connectitur ipse effectus, ex parte verò cause tantum connectitur cum eis principijs, à quibus egreditur physice, non item cum eis, à quibus causatur moraliter, è quorum genere sunt pleraque constitutiva libertatis actus primi voluntatis, à qua procedit, ut constat ex dictis in præcedentibus, præsertim num. 768. & 787. Ergo nulla earum connectitur cum integrâ libertate actus primi voluntatis, à qua procedit. Nullaque earum consequenter intrinsecè, & essentialiter libera est.

Pergo ad casus minus ordinarios, qui vo- 811 luntati humane possunt accidere. Sitque primus, si velit homo orare non propter solam honestatem, quam habet oratio præcisè sumpta, sed insuper propter honestatem, quam habet prout coniuncta cum incommodo, quòd secum fert, & quòd pro-

propositum voluntati motuum retractivum est eius ab ipsa oratione. In hoc enim casu talis volitio intrinsicè respiciet respectu amoris motuum attractivum, & respectu connotationis motuum retractivum iuxta dicta suppositionem quintam, & consequenter cogitationes attractivam, & retractivam tanquam eorum propositiones: cum illique omnibus subinde intrinsicè, & essentialiter connexa erit. Ceterum circa casum hunc duas, nisi decipior ego, deceptiones patiuntur Recentiores, qui sententiam secundam num. 754. relatum amplexi omnem libertatem actus secundi intrinsicè ipsi, & essentialiter esse defendunt. Prima deceptio est, quod putant, nullatenus posse voluntatem per aliquem suum actum liberum ferri in motuum attractivum præcisè sumptum; sed necessariò debere ferri in illud prout connotans motuum retractivum: sicque quemlibet actum liberum per suam essentiam debere necessariò esse tum amplexivum inclinationis, quam ad ipsum habet voluntas à cogitatione attractivà, & eius obiecto; tum resistivum inclinationis oppositæ, quam habet à cogitatione retractivà, & obiecto eius. Quod quàm sit falsum, constat ex dictis; cum potius iuxta modum operandi ordinariū, ut plurimum voluntati eveniat oppositum. Secunda deceptio est, quod putant, eum veluti amplexum motui attractivi prout cogniti, & eam veluti resistivam motui retractivo prout cognito, quæ intrinsicè, & essentialia prædicata sunt actui voluntatis in casu præsentis, & à quibus habet ille proinde esse intrinsicè, & essentialiter connexum cum ipsis motuis prout cognitis; hæc, inquam, prædicata putant sufficientia esse, ut sit intrinsicè, & essentialis ipsi actui libertas. Quod etiam est falsum. Quia libertas intrinsicè, & essentialis actus secundi stare non potest sine eius intrinsicè, & essentiali connexionione cum integrâ libertate actus primi, ut est certissimum. Hæc autem, præter dicta duo motiva opposita, & eorum cognitiones, intrinsicè includit in se decretum divinum concurrendi, & negationem prædeterminationis, & siquæ sunt alia actus principia, iuxta suppositionem tertiam, cum quibus actus voluntatis adhuc in præsentis casu connexus non est. Unde concluditur, ne in eo quidem esse talem actum intrinsicè, & essentialiter liberum. Cum quo tamen stat, ita eum in casu isto liberum esse, ut naturaliter, & citra miraculum nequeat ei deesse libertas; quia connectitur essentialiter cum talibus libertatis actus primi constitutivis, quibus connaturaliter debentur cætera, quæ ad illam complendam requiisita sunt, iuxta ea, quæ dicebamus supra num. 802.

812

Iam igitur ad alium casum veniamus, quem quispiam voluntati humanæ prout connaturaliter operari possibilem excogitare pesser ad hoc, ut aliquis illius actus intrinsicè, & essentialiter liber euaderet in hunc modum. Habeat homo cogitationem attractivam ad volitionem orandi, & simul retractivam ab illâ, ex eisque per experientiam notis inferat se in actu primo libertatem habere ad volendum, vel non volendum orare: siquidem iuxta doctrinam tactam supra num. 802. talibus cogitationibus cætera constitutiva requiisita ad talem libertatem sunt connaturaliter debita; ex eisque proinde talis libertas etiam cum evidentiâ physicâ potest inferri. Quibus positis, iam talis homo poterit velle orationem prout connotantem libertatem actus

primi ad volendum, vel non volendum orare, quam ipse habet, & reflexâ cognitione cognoscit. Unde volitio orandi ab iplo elicita respectu intrinsicè connotationis respiciet dictam libertatem iuxta doctrinam suppositionis quintæ: atque adeò cum ipsâ intrinsicè, & essentialiter connexa erit: quod ipsum est, talem volitionem intrinsicè, & essentialiter liberam esse.

Sed primum huiusmodi casus fallaciter propositus, & ad intentum reverà impossibilis est. Nam, postquam homo intractus cognitione reflexâ de suâ, quam habet libertate actus primi ad volendum, vel non volendum orare, elicit volitionem de oratione prout connotantem talem libertatem, volitio elicita non provenit à libertate ipsâ reflexâ cognitâ, quam habet pro obiecto connotato, sed ab aliâ, quæ constituitur per ipsam cognitionem reflexam. Ob idque volitio elicita propter connexionem, quam secum fert cum dictâ libertate reflexè cognitâ non evadit essentialiter libera: quia libertas essentialis actus secundi non stat in connexionione eius cum quacumque libertate actus primi, sed tantum in connexionione cum eâ, à qua ipse actus secundus provenit, & cuius exercitium liberum est; ut est certissimum. En iam casus propositi fallaciam. Ut autem eius ad intentum impossibilitatem, æquè clarè perspicias. Aduerte, libertatem illam voluntatis reflexè cognitam ad nullam volitionem habentem pro obiecto connotato ipsammet posse esse libertatem: quia iuxta doctrinam suppositionis quartæ cognitiones constitutivæ eius nullam volitionem causare possunt, quæ pro obiecto habeat ipsamet: alteram autem libertatem secundam, quæ completur per cognitionem reflexam de primâ ad nullam similiter volitionem habentem pro obiecto connotato ipsamet posse esse libertatem, etiam sit libertas ad volitionem habentem pro obiecto connotato dictam primam. Impossibile igitur est, per casum propositum obtinere, ut sit in voluntate humanâ volitio illa, respiciens tanquam obiectum connotatum eam voluntatis libertatem, à qua ipsa procedit, prout opus erat, ut talis volitio euaderet essentialiter libera.

Adde tamen ad copiosorem probationem nostræ propositionis, etiam si casus propositus, aut quilibet alius excogitabilis esset idoneus ad hoc, ut voluntas humana pro statu præsentis eliceret volitionem connexam cum eadem libertate actus primi, à qua volitio ipsa procederet tanquam cum obiecto præcognito; adhuc id non fore sufficiens, ut talis volitio euaderet essentialiter libera. Cuius ratio conspicua est. Quia, ut teigi suppositione quintâ connexio volitionis cum obiecto suo non est connexio cum illo prout habente esse reverà, sed prout representato voluntati per cognitionem. Atque ita, quando cognitio est fallibilis, bene potest stare talis connexio, quin obiectum, ad quod prout cognitum terminatur, detur à parte rei. Cum ergo cognitio, quam homo pro statu præsentis connaturaliter habere poterit de suâ libertate actus primi, fallibilis sit, ut est certum: connexio quantumvis essentialis, quam volitio à voluntate humanâ elicita in casibus admittis haberet cum eadem libertate actus primi, à qua procederet prout cognitâ, bene componi posset cum eo, quod à parte rei non daretur talis libertas: de factioque componeretur, si homo talem volitionem elicentem miraculosè, occultèque prædeterminaretur à Deo

Deo ad eam eliciendam, sicque putans se eam liberè elicere, non liberè, sed necessariò eliceret, iuxta ea, quæ dicebamus supra num. 802. Eiusmodi igitur connexio dictæ volitionis cum dictâ libertate actus primi ad illam reddendam liberam essentialiter prorsus inepta foret, ut est manifestum. Quia, ut est impossibile, quòd volitio sit libera, quin existat à parte rei libertas actus primi, à qua talis euadit: ita est impossibile, quòd volitio sit essentialiter libera, quin ita sit connexa essentialiter cum libertate actus primi, à qua talis euadit, prout existente à parte rei, ut prorsus repugnet existere à parte rei talem volitionem, quin talis libertas etiam existat à parte rei.

815 Abundè ergo manet probatum, in nullo casu excogitabili posse voluntatem humanam prout connaturaliter operantem in statu præsentis elicere vllum actum seu volitionis, seu nolitionis, qui ex aliquo prædicato speciali sui habeat, connexi essentialiter cum libertate actus primi ipsius voluntatis, prout opus est, ut euadat ille intrinsecè, & essentialiter liber libertate actus secundi. Et quod de actu voluntatis est dictum, de actione productiua eius venit in casibus propositis dicendum pariter, suâ seruata proportione, consentaneè ad iam dicta num. 810. In quo necesse non est immorari amplius. Et quoniam iuxta suppositionem secundam nulli actui, aut actioni potest attribui connexio eiusmodi, nisi prædicatum aliquod eius essentialiter exposcat illam, absolute concluditur, humanæ voluntati prout connaturaliter operanti in statu præsentis actus, actionesque factiuas eorum, quibus libertas sit intrinseca, & essentialis, impossibiles esse, ut nostra propositio fert. Vnde planè sequitur, nulli actui, nullique actioni voluntatis humanæ prout connaturaliter in præsentis statu operantis esse de facto libertatem intrinsecam, & essentialiter; omnibusque proinde semiextrinsecam, & contingentem de facto esse.

Propositio 6.

816 Actibus etiam, & actionibus iuxta modum operandi ordinariū elicitis à voluntate eorum, qui per species proprias cognoscunt, ut in statu beatifico, non esse intrinsecam, & essentialiter libertatem, sed semiextrinsecam, & contingentem, verisimilius mihi est. Possunt tamen illi habere actus, & consequenter item actiones, quibus libertas sit essentialis.

Moueor in primam propositionis partem. Quia verisimilius videtur, Beatos in suis actibus liberis eliciendis iuxta modum operandi ordinariū non vti reflexionibus intellectus: sine quibus actus voluntatis neutiquam possunt indueri cum intrinsecum respectum ad libertatem actus primi, à qua procedunt, qui requiruntur, ut euadant essentialiter liberi, ut facile colligere est ex dictis circa proposit. 5. Secundam autem partem propositionis probo. Quia intuitiones Beatorum ob magnam suam claritatem, & perfectionem, censendæ proculdubio videntur ex vna parte metaphysicè infallibiles, ex alia autem ita supra se reflexiuæ, ut tam clarè se ipsas, quam sua obie-

cta illorum intellectu notificent, iuxta id, quod de visione beatifica cum alijs censui tom. 1. disput. 2. quæst. 6. num. 62. Quo nihil iam desideratur, quominus actus liber elicitus à voluntate Beati integram libertatem actus primi, à qua ipse procedit, intrinsecè respicere possit prout cognitam per easdem cognitiones, quæ ipsam continent, cum eaque subinde prout sic cognitâ connecti essentialiter immediatè, ac dein mediatè cum eadem prout existente à parte rei: quod ipsum est, posse talem actum essentialiter esse liberum in casu omnino simili illi, quem posuimus num. 812. Qui, licet in Viatoribus sit ad intentum impossibilis propter dicta ibi. In Beatis verò propter hic dicta possibilis sine dubio est. Semel autem posito, quòd actus sit essentialiter liber, non potest non actio factiua eius esse etiam libera essentialiter iuxta demonstrationem factam supra num. 766.

817 Adde ad extremum, melius, me iudice, concipere, & loqui eos, qui dicunt, libertatem actus secundi semper esse actui, cui conuenit, semiextrinsecam, etiam, quando illi est essentialis ob essentialiter connexionem ipsius cum libertate actus primi. Quoniam denominatio liberi in actu voluntatis æquè videtur ex suo genere semiextrinseca, atque denominatio veri in actu intellectus. Hanc autem esse semiextrinsecam etiam in actu essentialiter vero ob essentialiter connexionem ipsius cum obiecto per ipsum cognitum, in Pharo Scient. disput. 3. quæst. 1. proposit. 6. probaui. Videantur dicta ibi, & huc applicentur.

QVAESTIO XVIII.

Vtrum omne contingenter existens à nutu causa libera ipsius existentiam determinantis debeat necessario pendere. Et quare.

818 Sermo est de omni existente contingenter seu positiuo, seu negatiuo, scilicet, siue illud sit ens, siue negatio entis, (qua ratione negatio entis suo modo dici potest existere iuxta doctrinam de negationibus traditam in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 3.). Suppono autem primò id seu positiuum, seu negatiuum dici contingenter existens, quod ita existit, ut in eadem temporis mensurâ, in qua existit, potuerit non existere.

819 Suppono secundò, quidquid contingenter existit, non posse non ab alio tanquam à causâ in sua existentia dependere. Quia, quod non ab alio, sed à se solo habet existere, eo ipso non contingenter, sed necessariò existit: eo quòd idem sibi ipsi nec potest dare existentiam potens non dare; nec potest tollere existentiam potens non tollere, ut satis superque ex se est manifestum. Hoc tamen differunt ens contingens, & negatio entis contingens; quòd illud necessariò debet pendere quoad existentiam à sua causâ influxiue: hæc verò, fat est, quòd dependeat à sua causâ aut permissiue, aut impeditiue iuxta doctrinam supra statutam quæst. 5. num. 131. Quanquam enim, ut ibi etiam diximus, negatio nullâ causâ